



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Faunus anguis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Hercules
Libycus.

occultatis, quoad prædæ cupiundæ oblata sit occasio: insurgit extemplo Serpens à tergo aggressus, apprehensumque lethali morsu transfigit, venenoque immisso necat evestigio, mox cadaver miserabile Serpens, & feræ ipsæ latantes una socialiter depascuntur. Adhæc addit, Herculem Libycum iter ea facientem in eas incidisse, quas ubi primum è longinquo prospexisset, cursum arripuerit pernicissimum: illæ autem cum diu nec ignaviter subssecutæ, prædam tamen eam nancisci minime potuissent; indignatione succensæ omnem in se crudelitatem convertere, ora pectoraque unaquæque sua foedissime dilacerata discerpentes. Ita monitos esse nos debere, ut more Herculis, improbitatem atque lasciviam tantummodo fugiendo superemus. Quod quidem figmentum, ex aurea illi Ecclesiastici sententia mihi desumptum videtur. *Peccatum tamquam Colubrum fugiendum*, paratum id enim esse unumquemque ad se accedentem, haud gravate suscipere.

FAUNUS ANGUIS. CAP. XXV.

Eadem habetur
in lib. de
Myrto.

HUIC perquam simile est quod apud antiquiores Græcos super Hecate proditum (eam alii Semelem vocant) quæ tamdiu Fauni patris nequitia restitit & oblutata est, etiam virga myrta verberata, & vino oppressa: donec ille in Anguem transformatus, filiam spiris undique colligatam improbitati suæ parere compulerit. Cujus fabulæ apud veteres indicia fuerunt, ab Hecates tempore longè summuta myrtus, vitis supra caput signi ejus extensa, vinumque quod proprio nuncupatione non licebat, sub lactis vocabulo inferri solitum: quippe ibidem passim obrepunt innotu Serpentes. Quæ quidem fabula facile ostendit eadem divinarum humanarumque rerum disciplinam universo mortalium generi divinitus in usu habitam, sed ab aliis nullo verborum aut rerum involucre, ab aliis sensu mystico, ab aliis per symbola, ab aliis per similitudines, per fabulas ab aliis memoriæ scriptorum diligentia commendatam, aut à patribus acceptam, posteris per manus prodatam: lacessit enim assidue humanum genus, quod & Apostolus Paulus apud Deum queritur: *Faunus pater naturæ stimulis importunus*, id est, originis ipsius compages coagmentatioque, & modo myrto, hoc est, imaginatione Veneris: modo vino, hoc est, lætitia & hilaritate: modo spiris ingentibus hoc est, multiplici voluptatis ipsius varietate suggesta, nos oppugnat, perque eam demum exuperat. Atque hæc illa patris domus, cujus oblivisci nos debere, admonet Propheta.

SENSUS A VOLUPTATE, MENS A
SENSU DECEPTA. CAP. XXVI.

Lapsus viri
& mulieris.

MULIERIS porro figura apud Divinarum literarum interpretes, pro sensu accipitur, viri vero pro mente: unde quidam Adam, terrenam mentem interpretati sunt. Hic igitur sive Faunus, sive, ut nostri rectius, Serpens accingit se primum ad expugnandam mentem, subvertendumque intellectum. Hic sua virtute opibusque fretus, hostem repellit acerrimè, uti Adamum decet. Quid ille vafer & malignus? Evam adoritur, sensus ipsius adjectat commoda, delicias proponit omnes voluptatum explicat illecebras, quarum gustu vel minimo expugnatur Evæ imbecillitas illa incantatum opprimit Adamum, mendaciumque commenta, lenocinio suo atque blanditiis eum cogit aberrare. Athanasius sane, cum puritatem animi, quæ in Adamo primitus fuit, spiritualium rerum contemplatione tantum occupato metaphoricè Paradisum à Mose nominatum ostendisset, ibidem abiecit, quo pacto sensus mentem à spiritualium rerum meditatione, Serpentis consilio, ad corporis voluptates averterit abstraxeritque. Divus Augustinus in 48. Psal. *Singulis*, inquit, *nostrum inest mulier hæc: quippe caro nostra Eva est, que seducit virum, id est, rationem: per quam carnem labitur homo, quem calcanei nomine, quod à Serpente fuerit impetum, Prophetæ appellaverunt.* Hinc Menander Samaritanæ occasionem sumpsit scelesti perniciosique dogmatis, qui nuptias, & generandi studium, à Vipera naturæ Satana mentiebatur emanasse.

Menandri
Samaritana
11707.

SENSUS QUINQUE. CAP. XXVII.

IN Evangelica lectione virgines quinque fatuæ, totidemque prudentes, cum lampadibus procedunt, quæ, ut Abrosius putat, sensus quinque in sapientibus suo lumine lucidos, eosdemque in insipientibus